

5. Quamvis Clerici aliquando, uti vidimus, possint advocatiæ munus implere, tamen numquam illud exercere possunt pro extraneis personis contra Ecclesiam in qua habent beneficium. Quod si fecerint, tanquam ingrati possunt beneficio exspoliari *c. ult. h. t.* Doctores hanc dispositionem extendunt ad casum, in quo Clericus possideat distincta beneficia in pluribus Ecclesiis et una alteri quæstionem excitet. Excipitur casus quo Clericus in una sit Prælatus; nam prælaturæ obligationes videntur excusare Clericum agentem contra aliam Ecclesiam, in qua habet beneficium. Prælatus enim est defensor natus jurium Ecclesiæ suæ.

6. Quid vero dicendum de Regularibus? Regulares omnes suscipere munus advocati non possunt, nisi sermo sit de utilitate monasterii, et nisi accedat simul licentia proprii superioris *c. 2. h. t.* in quo Pontifex dispositionem canonum *20. et 25. c. 16. q. 1.* quæ erat de monachis, extendit ad Canonicos Regulares. Ob paritatem vero rationis norma hujusmodi a Doctoribus applicatur reliquis regularibus, et praxis eidem normæ constanter adhæsit. Quod si agatur de Fratibus Minoribus videntur ipsi non solum exclusi ab officio advocati suscipiendo, sed etiam non posse personaliter adjuvare advocatos, quando agitur de causis ex quibus commodum temporale ipsis fratribus redundare potest. *Clem. 1. De Verb. signif. § Proinde.* Nam viderentur nimium animo suo adhærere bonis, quibus nuncium dederunt, quæque possidere nequeunt.

7. De Officio Advocati. — Advocati officium duobus continetur; idest advocatus tenetur animadvertere et rite expendere qualitatem causæ defendendæ, nec non animum intendere circa modum defensionis instituendæ. Quoad primum debet advocatus cavere ne causas, quas injustas esse deprehendit, defendendas suscipiat, et vel susceptas prosequatur. Sane advocatus justitiam tueri debet, et non potest tuta conscientia causam scienter ponere damnorum sive suo clienti sive etiam adversæ parti. Unde Lessius *De Just. et Jur. Lib. 2. c. 31. dubit. 8. n. 48.* docet 'Quando (advocatus) tuetur causam, quam advertit esse iniquam, tenetur ad restitutionem omnium damnorum quæ parti obveniunt ratione illius patrocinii, et expensarum factarum et eorum omnium quæ per litem amisit. Tenetur etiam suo clienti, si cum bona fide procedentem non monuit de causæ injustitia. Horum enim omnium est causa, vel committendo vel omittendo contra debitum officii'. — Quare idem auctor in *Dubitat. seq. n. 52.* docet, Advocatum

suscipere non posse patrocinium causæ quæ saltem non sit probabilis.

8. Quoad vero secundum, idest quoad modum defensionis, Advocatus munus suum tenetur implere modeste, vere, ac fideliter. *Modeste*, idest abstinere debet ab injuriis ac conviciis contra adversam partem vel patronum ejus *L. 6. C. h. t. § 1.* — 2º. *Vere*, tenetur videlicet sequi veritatem; nec potest uti theoriis et principiis quæ falsa sunt, et æquitati naturali contraria; nec falsis aut ementitis documentis defensionem roborare. — 3º. *Fideliter* tandem, idest tenetur rationes et argumenta, quæ clienti suo favent, exponere et declarare eo modo quo patefiat et ostendatur eorundem virtus probationis. Ex hoc capite etiam advocatus tenetur silentium servare de secretis clientis sui, nec ea potest parti adversæ aut ejus patrono manifestare.

9. Jus advocati est ut operis sui et laboris conveniens stipendium recipiat. Cavere autem debet ne suum nobile et honorificum officium immodici lucri cupiditate deturpet. Quare in specie tria advocatis a legibus prohibita sunt 1º. Pactum cum cliente de quota litis præstanda in casu victoriæ *L. 53. ff. de Pactis.* — 2º. Emptio, venditio et alii contractus cum cliente durante defensione litis *L. Quisquis vult C. h. t.* — 3º. Redemptio idest emptio alienarum litium, pretio intercedente *L. Per diversas. C. Mandati.* Porro hæc principia Legum Romanarum etiam in practica jurisprudentia canonica recepta sunt.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

1. Juxta Ulpianum in *L. 1. ff. h. t.* 'Procurator est qui aliena negotia mandato domini administrat'. Procurator est 1º. *qui aliena negotia administrat*; nam nemo est procurator propriorum negotiorum. Ex hac vero qualitate Procurator distinguitur ab Advocato. Nam, præscindendo etiam ab eo quod Procurator esse potest etiam ad negotia extrajudicialia, advocatus non administrat proprie litem, seu non dirigit ea quæ sunt ordinis judicialis, non suppeditat sumptus litis, non facit litem suam, nec excipit sententiam judicis, quemadmodum efficit procurator, qui ad lites constituitur; sed advocatus solummodo suppeditat argumenta tum juris tum facti in favorem clientis proprii.

Procurator 2^o. *ex mandato Domini* procedit. Procurator enim personam domini repræsentat juxta fines commissionis et intentionem expressam in mandato. Adeo autem est necessarium mandatum, ut acta judicii cum Procuratore absque mandato non valeant et exceptio contra hæc acta opponi possit etiam post latam sententiam *c. 4. h. t.* et *L. 24. C. h. t.* Excipitur 1^o. si dominus tacite consentiat in procuratorem, 2^o. si Procurator sit vinculo sanguinis conjunctus cum domino principali, et a fortiori si sit maritus in causa uxoris *L. 21. C. h. t.* — 3^o. si sit Canonicus, negligente Episcopo vel Prælato Ecclesiæ, *c. 1. de Rest. spoliat. et c. 6. de Reb. Eccl. non alien.* Ex necessitate mandati differt Procurator a negotiorum gestore, qui alterius absentis et inscii utiliora negotia gerit et administrat, ex præsumpta solummodo voluntate domini. Differt a tutore et curatore, qui designantur vel in testamento vel a lege vel a judice pro pupillo vel minore vel prodigo.

2. De variis Procuratorum speciebus. — Procurator alius est qui ad negotia extrajudicialia deputatur, alius qui ad lites. Scilicet alius administrat negotia extrajudicialia, alius pertractat et curam habet de causis quæ in foro agitantur. Primus dicitur Procurator extrajudicialis; vel etiam simpliciter dicitur procurator *ad negotia*, alter procurator *ad lites*. Uterque vel est generalis vel est specialis, prout destinatur ad universitatem negotiorum, aut causarum, vel ad unum tantum negotium pertractandum, vel ad unum judicium subeundum et prosequendum. — Procurator generalis aliquando destinatur adhibita formula 'cum libera' idest cum plena et libera facultate administrandi et procedendi, aliquando vero non, idest simpliciter procurator designatur *c. 4. h. t. in 6. et L. 58. ff. h. t.* — Tandem procurator aliquando datur *in rem alienam*, aliquando *in rem suam*. In rem alienam quando procurator administrat negotia aut sustinet causas in utilitatem mandantis, in rem suam procurator est qui alienum negotium in propriam utilitatem gerit, quemadmodum si creditor cedat alicui jura et actiones contra debitores. Hoc enim in casu cessionarius agit contra debitores nomine et ex mandato cedentis, at commodum ipse cessionarius percipit ex felici exitu gestionis suæ simulque periculum et præjudicium patitur. Porro procurator in rem suam improprie procurator dicitur; nam verus procurator est ille qui negotium et utilitatem alienam peragit. Utique procurator judicialis post lites contestationem facit litem suam; at id non signi-

ficat procuratorem persentire debere utilitatem vel incommodum exitus judicii; nam dominus est qui effectus lites persentire tenetur, cum procurator munere suo rite functus fuerit. Facit ergo procurator causam suam quia post lites contestationem ipse est cui causa inscribitur, qui directe tractat cum judice, cui manifestantur acta judicii, intimatur decisio tribunalis.

3. Quæritur 1^o. quinam possunt constituere procuratorem. Quidam respondent: qui domini sunt rei de qua agitur, et facultatem habent eam administrandi. Non admodum vero diversa responsio est, si dicatur, illos posse constituere procuratores qui obligari possunt, nec a lege vel canone prohibentur. Primum membrum ex eo clarum redditur, quod mandans cogitur agnoscere et admittere ea quæ a procuratore intra fines mandati geruntur. A lege autem excluduntur qui sunt sub alterius potestate aut cura. Hinc filiifamilias in bonis paternis, vivente patre, procuratorem non possunt constituere, quamvis possint in bonis castrensibus vel quasi-castrensibus. Pupillus sine auctoritate tutoris, minor sine consensu curatoris non possunt designare procuratorem. *L. 11. C. h. t.* Minor vero qui curatorem non habet, potest quidem ad negotia extrajudicialia procuratorem destinare, non vero ad lites. Nam procurator hic est a magistratu designandus.

4. Jure canonico excommunicati excommunicatione majori constituere procuratorem prohibentur, cum partes actoris sustinere tenentur *c. ult. h. t.* Nam in judicio constituere procuratorem non potest, qui juridica personalitate caret, ut comparere possit coram judice. Jamvero excommunicati hujusmodi non possunt esse actores in judicio. Ergo etc. Verum quoniam excommunicati possunt tum in prima instantia sese tueri, partes rei sustinentes, tum constitui actores in gradu appellationis contra sententiam, qua damnati sunt, hinc possunt etiam in utroque casu destinare procuratores *c. 7. De Judiciis*. Ita Prælati absque consensu Capituli, si agatur de rebus arduis vel capitulum specialiter respicientibus, constituere procuratores nequeunt ex titulo *De iis quæ fieri possunt absque cons. Capit.*

5. Quid vero de Universitatibus? Etiam Universitates quæcumque possunt sibi Procuratorem constituere *cc. 7. et ult. h. t.* Quod si in collegio unus vel plures sint excommunicati, valet mandatum procuratorium ad agendum, dummodo in litteris mandati non fuerint nomina excommunicatorum expressa, et dummodo pro-

curator non fuerit præcise ab excommunicatis destinatus *c. ult. h. t.* Ratio partis affirmativæ est quia destitutis aliquibus jure agendi non censentur alii privati jure suo designandi aliam personam quæ nomine communitatis actionem intentet. At nomina excommunicatorum exprimi in mandato nequeunt, ne mandatum ipsum nullum et irritum reddatur. Expressis enim hisce nominibus, mandatum quod consideratur tanquam actus communitatis vitiaretur ex concursu eorum qui jure mandantium carent.

6. Quæritur 2º. qui possint destinari ad officium procuratoris. Si sermo sit de procuratore deputando ad negotia, tradunt auctores, nullam aliam qualitatem requiri ultra idoneitatem. Quare ille potest extrajudicialis procurator designari, qui habilis est et idoneus ad negotia vel ad peculiare negotium de quo agitur expediendum. Aetas vero determinatur in *c. 5. in fin. h. t. in 6.* ubi dicitur, licite deputari procuratorem post ann. 17. Si sermo sit de procuratore judiciali, quoniam Edictum de Procuratoribus in jure romano negativum est, hinc illi dicendi sunt idonei, qui a jure non excluduntur ab hoc officio suscipiendo. Quare cum filiusfamilias non excludatur a jure, immo includatur *c. 5. h. t. in 6. et L. 8. ff. h. t. § Ipse quoque*, sequitur filiumfamilias constitui posse procuratorem tam ad agendum quam ad defendendum. 2º. Laicus esse potest procurator etiam in causis spiritualibus *c. 1. h. t. in 6.* Quod verificatur sive partes actoris, sive partes rei sustinere debeat. Nam procurator per se non est nisi nudus minister, nec revera in se suscipit jus spirituale, nec exercet ullam jurisdictionem. Ex sensu ergo contrario non potest deputari laicus procurator in causis spiritualibus, sive cum exercere deberet actum jurisdictionalem, quia laicus est incapax jurisdictionis ecclesiasticæ *c. 2. De Judiciis*, sive cum directe et proxime influeret procuratio in concessionem jurisdictionis seu officii sacri. Hinc non potest dari laicus procurator ad eligendum prælatum ecclesiasticum *c. 56. de Elect.* Nam quæmvis electores non conferant prælaturam electo; tamen per electionem acquiritur jus ad rem seu ad prælaturam, et proinde laicus concurreret ad jurisdictionem conferendam.

7. Excluduntur vero a procuratoris officio jure civili præsertim servi *L. 6. C. de Judiciis.* 2º. Milites ne castra deserant *L. 7. C. h. t.* — 3º. Potentiores, ne litem facientes suam aliquo influxu rigori judiciali officiant. Ita in tit. *C. Ne potentiores.* — 4º. Redemptores alienarum causarum; qui nempe causarum procuracionem

vel pretio suscipiunt, vel paciscuntur in exitum litis, idest ut sibi ex victoria quota seu certa pars tribuatur *L. 1. C. h. t.*

8. Jure Canonum excluduntur 1º. Excommunicatus *c. 7. De Judic.* Censetur enim non habere personam legalem sese sistendi coram judice. — 2º. Infames Can. *Infamis c. 3. q. 7.* Procurator enim et postulator debet esse vir famæ non suspectæ. — 3º. Regulares absque licentia superioris et nisi pro suo consorte in eadem lite *Clem. 3. h. t.* Clerici vero in casibus in quibus prohibentur suscipere munus advocati, a fortiori excluduntur ab officio procuratoris. — 4º. Minores annis 25. *c. 5. in fin. h. t. 6.*

9. De causis in quibus possit destinari procurator. — Si causa non excipiatur a jure, in ea admitti procurator potest. Cum vero 1º. causæ omnes civiles, immo etiam spirituales non excludantur, hinc admitti in ipsis potest procurator. Valet enim in ipsis principium *Reg. 68. Jur. in 6.* 'potest quis per alium, quod potest facere per seipsum'. 2º. Idem dicendum de criminalibus civiliter actis. 3º. Si sermo sit de criminalibus criminaliter actis, distinguendum est juxta DD. inter causas quæ secumferunt penam capitis vel relegationis vel aliam penam majorem, et causas quæ penas minores promerentur. In causis secundi generis admittitur procurator tam pro reo quam pro accusatore. Non admittitur vero procurator pro reo, licet admittatur pro accusatore, in causis primi generis, ne eludatur iudicium. Cum enim sententia pœnalis intimetur procuratori, reus absens potest per fugam illam vitare. Quæ ratio non valet si agatur de pœna exilii, aut de pecuniaria, vel de pœna afflictiva minore quæ in pecuniariam facile converti potest. Pœnæ enim hujusmodi, si reus nolit accedere, saltem in æquivalenti ab eo sustinentur æque per suam coactivam absentiam et contumaciam a loco sui domicilii. Potest vero procurator adesse etiam pro reo in causis majoribus, cum ipse in carceribus detinetur, nec ad locum iudicii adduci facile potest.

10. De potestate procuratoris. — Potestas procuratoris considerari potest tum quoad personam quæ illam exercet, tum quoad negotium ad quod refertur. Virtute potestatis in primo respectu consideratæ procurator ad negotia potest quodcumque alium substituere *c. 1. § licet h. t. in 6.* Excipitur procurator ad contrahendum matrimonium *c. fin. h. t. in 6.* Excipiuntur etiam negotia graviora, ex quibus præjudicium notabile domino principali contingere posset; quia hæc præsumuntur commissa specialiter pro-

curatori. Pariter procurator ad speciale negotium in quo videatur electa industria personæ, alium procuratorem substituere nequit *arg. c. 12. de Off. Deleg. in 6.* Procurator insuper generalis non potest integram commissionem seu potestatem ad universitatem negotiorum demandare alteri *c. 1. h. t. in 6.* Procurator autem judicialis post litis contestationem, cum causam fecerit suam, potest eam alteri committere; non potest vero ante contestationem litis, nisi hanc facultatem alium sibi subrogandi in mandato acceperit, vel nisi procurator sit in rem suam. Virtute potestatis consideratæ in secundo respectu procurator cum speciali mandato deputatus circa negotium extrajudiciale vel circa causam tractandam habet omnes facultates necessarias et opportunas ut vice domini negotium impleat vel causam pertractet, intra limites designatos in mandato.

11. Quid vero dicendum de procuratore cum generali mandato? Procurator hic potest omnia negotia administrare illis exceptis, quæ requirunt speciale mandatum. Requiritur speciale mandatum præsertim 1º. ad contrahendum matrimonium *c. ult. h. t. in 6.* — 2º. ad alienandum, nisi agatur de fructibus, aut de rebus quæ servando servari non possunt *L. 63. ff. h. t.* — 3º. ad paciscendum seu ad transigendum *L. 60. ff. h. t.* — 4º. ad deferendum juramentum calumniæ vel de veritate dicenda aut decisorium in litem *Clem. 2. h. t. et c. 4. h. t. in 6. § Procurator.* — 5º. ad compromittendum in personam arbitri *c. 9. de Arbitris.* — 6º. ad opponendum crimen vel defectum contra personam electi vel provisi de beneficio *Clementin. 2. h. t.*

12. Quid si mandatum datum sit cum clausula 'cum libera' vel 'ut alter ego'? Hæc clausula idem significat ac plenam et liberam negotiorum administrationem. Procurator ergo qui generale mandatum seu ad omnia negotia recepit sub hac clausula, consideratur tanquam dominus negotiorum. Hinc potest juramentum deferre, transigere et pacisci *c. 4. § Procurator h. t. in 6.* potest exigere credita, solvere debita, permutare, innovare et alienare, ex sensu *LL. 58. et 59. ff. h. t.* cum Glossa. Excipitur vero semper contractus matrimonii *cit. c. h. ult. t. in 6.* Pariter excipitur donatio. Donatio enim consideratur ceu rerum perditio, quam nec filius perficere potest 'cui libera concessa sit peculii administratio' *L. 7. ff. de Donationibus.*

13. Quid vero si in mandato concedatur potestas etiam ea peragendi quæ requirunt speciale mandatum? Hæc clausula ceu

nimis generalis consideratur, quare ea non obstante, ad evitandos abusus servatur regula, quod in generali concessione non veniant ea quæ quis verosimiliter non fuisset in specie concessurus. Quod si vero præter clausulam illam generalem etiam aliquod negotium fuerit expressum quod requirit speciale mandatum, ex dispositione *c. 4. h. t. in 6.* poterit utique procurator exequi alia quæ sint minora aut æqualia, non vero ea quæ sunt majoris momenti. Hinc in *Clem. 2. h. t.* proposita specie de procuratore, qui facultatem a mandante acceperat jusjurandum de calumnia interponendi, atque alia peragendi quæ requirunt speciale mandatum, respondit Pontifex, hunc procuratorem non posse nomine mandantis opponere crimina in personam electi vel provisi de beneficio. Censentur enim graviora negotia quam sit juramentum calumniæ.

14. De Procuratoris officio. — Procurator debet mandatum suum præsentare; nam mandatum non præsumitur. Quod si dubitetur aliquando de existentia vel de validitate mandati ad agendum, tenetur procurator cautionem præbere de rato, idest dominum principalem ratum fore habiturum quidquid procurator acturus erit. *L. 39. ff. h. t. § qui alieno.* Mandatum vero ex stylo Curia refert nomen constituentis procuratorem, et ipsius procuratoris constituti; pariter exprimere debet tribunal apud quod procurator constituitur, nec non causam in qua constituitur, etiam diem et annum constitutionis cum clausula ratum habendi quidquid procurator ejus nomine erit acturus. — 2^{um} officium procuratoris est fideliter exequendi commissam potestatem, nec excedendi limites mandati. Hoc posito consideremus tantisper vim et potestatem mandati. Et 1º. mandatum ad agendum in una causa eo ipso non tribuit facultatem agendi etiam in alia *c. 12. h. t.* — 2º. Mandatum ad lites non censetur datum ad expedienda negotia extrajudicialia. — 3º. E contra mandatum generale ad negotia datum censetur datum etiam ad judicia pertractanda, exceptis tamen iis quæ requirunt speciale mandatum *c. 11. h. t. et c. 5. h. t. § 1. in 6.* Ratio est quia nisi addatur adjectivum *extrajudiciale*, verbum *negotium* exprimit quidquid peragendum est etiam in judicio *c. 10. de Verb. Signif.* — 4º. Procurator datus ad defendendum seu ad respondendum in judicio non censetur datus ad agendum, qui vero datur ad agendum, videtur datus et ad respondendum, dummodo in mandato non adsit particula restrictiva ex. gr. 'solummodo' *c. 12. h. t.*

15. De cessatione officii Procuratoris. — Cessat officium procuratoris 1^o. mutuo consensu mandantis et procuratoris ipsius. Hæc vero cessatio officii si sermo sit de procuratore judiciali post litis contestationem fieri non debet in fraudem partis colligantis, cum initus sit quasi-contractus. Fieret vero in fraudem hujus si ex. gr. Procurator cautionem præstiterit de judicato solvendo, et deinde ne ipse amplius hac obligatione teneretur, ex consensu mandantis relinqueret officium litis gerendæ. — 2^o. Cessat officium expleto negotio, ad quod procurator datus est, vel lata sententia in quæstione principali et interposita per procuratorum appellationem. Dicimus 1^o. *in quæstione principali*. Nam sententia in incidentalibus iudicio integrum relinquit officium procuratoris. Dicimus 2^o. *appellatione interposita*. Nam procurator debet appellationem interponere, ne sententia transeat in rem iudicatam, vel saltem congruo tempore significare tenetur domino principali, ut ipse per se appellet. Procurator vero non tenetur invitus appellationem prosequi, seu causam agere in secunda sede iudicii *c. 14. h. t. et L. 17. C. h. t.* — 3^o. Cessat officium morte procuratoris. Mandatum enim non transit ad hæredes. Etenim mandatum in jure importat officium personale, cum in genere censeatur electa industria personæ. — 4^o. Renunciatione ipsius procuratoris etiam invito domino, dummodo tamen fiat ex justa causa, et si agatur de procuratore judiciali post litem contestatam requiritur etiam iudicis assensus *L. 13. ff. h. t.* Et quidem justa causa requiritur; quisque enim susceptum munus perficere tenetur *L. 17. C. h. t.* Causæ autem sunt 1^o. capitales inimicitie exortæ inter dominum et procuratorem; 2^o. dignitas quæ procuratori accesserit; 3^o. si reipublicæ causa aut privata necessitate cogente procurator diu abesse debeat; 4^o. infirmitas superveniens, vel alia causa ejusdem ponderis *L. 8. circa fin. et LL. 9. et 10. ff. h. t.* — 5^o. Cessat officium procuratoris morte mandantis re adhuc integra. Re enim non amplius integra procurator fecit suum negotium. Porro res desinit esse integra pro extrajudiciali procuratore, cum ipse executus fuerit ea, quæ negotium commissum præparant. Pro judiciali vero procuratore res amplius integra non censetur post litis contestationem. Excipitur casus procuratoris a Prælate Ecclesiæ vel rectore et possessore beneficii constituti; hic enim procurator cessat ab officio mortuo prælate vel rectore re etiam cœpta, seu non amplius integra *Clem. ult. h. t.* Successor enim in Ecclesia seu beneficio non

repræsentat prædecessorem, sed censetur esse nova persona. Hinc successor non tenetur recognoscere et ratum habere factum personale prædecessoris, prout est constitutio procuratoris. — 6^o. Cessat hoc officium revocatione mandati. Hæc revocatio re adhuc integra fieri potest ex libera voluntate domini principalis, quin ulla adsignetur causa.*) Excipitur mandatum ad matrimonium contrahendum, quod potest revocari usque dum non fuerit celebratum matrimonium, etiam inscio procuratore et alia parte cum qua contrahendum erat matrimonium *c. ult. h. t. in 6.* Regula hæc quoad procuratorem extrajudicalem fulcitur *L. 8. § 6. ff. Mandati vel contra*, et ab ipsa suadet æquitate, quæ non sinit aliquem pati sine justa causa præjudicium sive famæ sive bonorum in gratiam arbitrii alterius. Res vero evidens est prorsus quoad procuratorem judicialem post litis contestationem. Quamvis enim domino principali concessum sit ut cum suo procuratore suæ causæ adsit, tamen non potest ipse dominus procuratorem post litem contestatam remove ab officio nisi ex legitima causa *L. 22. C. h. t. et c. 2. h. t. in 6.* Cujus causæ legitimitatem videre et decernere debet iudex citato et audito ipso procuratore. *L. 17. et seqq. ff. h. t.* Causæ vero ad revocandum procuratorem re non amplius integra sunt plures. Scilicet inimicitie inter procuratorem et dominum obortæ; affinitas vel amicalis relatio quæ enascatur inter procuratorem et adversarium domini; desiderium hæreditatis ejusdem adversarii obtinendæ, vel aliquod particulare factum quod suspectum reddat procuratorem, tandem infirmitas vel alia necessitas aut infortunium; quæ omnia, vel prorsus impediunt, vel saltem notabiliter et cum detrimento domini nimium distrahunt causæ decisionem. Conferri possunt *cap. 2. h. t. in 6. et L. 22. C. h. t.*

16. Finito negotio, conceditur domino actio quæ dicitur *actio directa mandati* contra procuratorem, ut hic rationes reddat, et sarciat damna quæ sive ex dolo ejus sive ex culpa etiam levi domino obvenerunt.

17. Conceditur vero Procuratori *actio mandati contraria* adversus dominum ad repetendas omnes expensas occasione mandati et bona fide factas *c. 7. h. t.* Qua in re animadvertimus, aliquando mandatum dari procuratori pro negotio alterius personæ. Id dupliciter contingere potest: 1^o. Vel quis mandat procuratori

*) Re autem non amplius integra, revocari nequit procuratio absque rationabili causa.

ut tractet negotium alterius perinde ac si esset proprium ipsius mandantis. 2^o. Vel quis mandat pertractari negotium alienum ratione officii quo adstringitur erga patrimonium alienum. In 1^o. casu si vires patrimonii alieni impares sunt ad solvendas expensas, mandans de proprio supplere tenetur *LL. 2. et 6. ff. Mandati*. In 2^a. hypothese mandans de suo non tenetur ex. gr. si mandans uti tutor, administrator, vel executor testamentarius commiserit procuratori aliquod negotium in iudicio vel extra tractandum, expensas solvet non ultra vires patrimonii pupilli, hæreditatis etc. Ratio est quia procurator debebat agnoscere vires patrimonii, et ceteroquin sciebat mandantem negotium commisisse tutorio, administratorio etc. nomine. Hinc sibi tribuat, si nimias fecerit expensas, quas recuperare nequit.

18. De rebus gestis ab eo qui procuratoris officium immerito sibi vindicat. — Præter verum procuratorem etiam falsus dari potest procurator, qui nempe vel nullum mandatum habuit, vel quod habuit revocatione viribus destitutum est. Porro revocatio mandati ut ipsum mandatum iudice destruat, debet esse procuratori intimata; secus enim ipse prosequitur acta sui officii, nullo jure obsistente *c. 33. de Rescrip. c. 3. h. t. et Clem. un. de Renunc.* Excipi tamen debet mandatum ad contrahendum matrimonium, cujus revocatio irritat contractum, quamvis ignoretur a procuratore et ab alia parte contrahente *c. ult. h. t. in 6.* Excipiunt DD. etiam illos casus in quibus non sufficit consensus præteritus aut fictus seu legalis, sed requiritur verus et perseverans. Ex. gr. si ageretur de mandato ad suscipiendum infantem in baptismo, seu de contrahenda cognatione spirituali. Porro revocatio mandati judicialis non solum procuratori, sed si lis fuerit contestata, intimari etiam debet iudici aut adversæ parti collitiganti, secus acta eum procuratore revocato valent *cc. 4. et 13. h. t.* Idem vero dicendum est etiam de procuratore designato ad pertractandum negotium peculiare cum determinata persona. Hoc enim in casu dominus principalis quemadmodum huic personæ notum fecit mandatum procuratoris ad negotium gerendum, ita etiam intimare seu significare debet revocationem mandati. Si omittatur hæc intimatio, res gestæ cum procuratore valent, ex. gr. solutio debiti *L. Si quis servo ff. de solution.*

19. Peculiari mentione digna est dispositio *Clem. un. de Renunc.* In hac constitutione quæritur utrum valeat renunciatio

beneficii vel prælaturæ facta per procuratorem cujus mandatum revocatur, sed revocatio deducta non est ad notitiam procuratoris, vel Superioris excipientis renunciationem; et Clemens V. respondet, valere, dummodo ex malitia eorundem aut etiam aliorum factum fuerit, quominus saltem ad alterutrum notitia revocationis mandati non pervenerit. Ex quo capite hoc principium eruit Glossa: in mandato nempe ad renunciandum beneficio paria sunt notificatio revocationis, vel si stetit per procuratorem vel per alium, quominus revocationis notitia ad eum vel ad superiorem veniret; nec in renunciatione hujusmodi requiritur proprie dicta intimatio revocationis facta procuratori, sed sufficit etiam ut aliunde certior factus fuerit procurator de revocatione ipsa; ex. gr. si extraneus ostendat procuratori instrumentum in quo revocatur mandatum.

Hiscæ positis supponamus, aliquem vel nullo mandato prorsus accepto, vel ex mandato ob legitimam revocationem viribus destituito aliquid egisse procuratoris nomine. In genere hoc servatur principium ut scilicet acta per falsum procuratorem non valeant *c. 3. h. t. et c. 33. de Rescrip.*, valeant vero et sustineantur si ea rata habuerit dominus principalis, quæ ratihabitio ad initium negotii retrotrahitur *L. 56. ff. de Judiciis*. Quod si vero dominus principalis omiserit rata habere gesta per falsum procuratorem, exceptione adversæ partis eliduntur. Hæc exceptio opponi potest sive ante sive post sententiam *c. 4. h. t. fin. et L. 24. C. h. t.*

TITULUS XXXIX.

D e S y n d i c o .

1. Syndicus est qui ab aliqua universitate vel collegio constituitur ad negotia pertractanda et præsertim ad lites et causas in iudicio peragendas. Ex quo patet Syndicum differre a procuratore in eo solum quod procurator a privatis constituatur, syndicus vero ab universitate vel collegio. Differt ab œconomio vel administratore, eo quod hic ad pecuniam aliaque negotia extrajudicialia administranda destinatur, syndicus vero præsertim ad lites datur. Differt ab actore; actor enim ad certam causam designatur, Syndicus vero ad universitatem causarum. In jure vero actor et Syndicus sæpe confunduntur.

2. Syndicus esse potest quicumque a procuratoris officio assumendo non prohibetur. Hinc potest aliquis eligi sive de gremio